



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

377. Quando fieri debeat communis electio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Questio 372. Quanam electio comprehendatur his verbis c. quia propter: collatione habitâ eligatur, in quem omnes, vel major, & sanior pars capituli consenserit?

Respondeo: non intelligitur electio illa, quæ fit, dum Electores in scrutinio dant votum suum, quæ vulgariter solum dicitur electio, & est potius quid viabile, ut ait Pass. *cit. c. 19. n. 20.* imperfectum, & preparatorium ad electionem, per quod explicatur desiderium, & votum Electorum, & per quod non datur jus electo: sed actus ille solennis, per quem, completo & publicato scrutinio, seu electione illâ quasi privatâ, collegium, ac si esset una persona sententialiter, definitivè, & irrevocabiliter eligit Prælatum, eique jus confert, Suar. *loc. cit. n. 24.* Tamb. *loc. cit. n. 17.* Pass. *loc. cit.*

Questio 373. Quanta sit necessitas huius electionis?

Respondeo: tanta, ut si omittatur, electio sit nulla, & nominatus in scrutinio nequeat confirmari. *c. quia propter. c. in Genesi.* Suar. *l. cit. Biax. p. 3. c. 34. n. 2.* Tamb. *de jure Abb. cit. d. 5. q. 6. n. 7.* Sigism. *dub. 37. n. 1.* Pass. *n. 29.* Cum enim electio sit actus collegii, nunquam est, nisi fiat à Collegio ut à Collegio, hoc est, ab una persona legali representante totum collegium; in scrutinio namque electores nominant, & eligunt, ut singuli. Pass. *ibid.*

Questio 374. De quo habendus hic actus?

Respondeo: habendum esse, & haberi non posse, nisi de illo, vel illis (ubi plures eliguntur, ut ex illis unum seligat confirmator) qui vel à toto capitulo, vel à majore & saniore capituli parte in scrutinio nominati sunt, ita ut nunquam minor pars, etiam si sit sanissima & prudentissima, sufficiat; cum textus requirat copulativè majorem & saniorè partem; & quidè primo loco majorem. Abb. *ad c. quia propter. n. 7. ibid.* Barb. *n. 27.* Biax. *de elect. p. 3. c. 35. n. 2.* Menoch. *de presump. l. 6. presump. 5. n. 4.* Mirand. *to. 2. q. 23. a. 17.* Suar. *loc. cit. n. 22.* Pass. *n. 21.* Modò autem in electionibus, ubi nomina eligentium publicari non possunt, adeoque ignoretur, quæ pars sit sanior, vel minus sana, solus numerus major attenditur, & sic semper habetur sanior, nisi forte persona electa sit indigna. Sigism. *de Bon. de Elect. dub. 38. n. 8.* Lavor. *tit. 4. c. 19. n. 8.* Tamb. *to. 1. d. 5. q. 6. n. 21.* Barb. *cit. n. 27.* Suar. *n. 23.* Pass. *loc. cit.* Estque id ipsum specialiter insuper concessum Ordinibus aliquibus religiosis, aut ab iis specialiter statutum, adeoque in iis locum non habet questio illa de parte saniore, de quo vide Pass. *loc. cit.* Neque contrarium evincitur ex eo, quòd Gregorius IX. ut habetur *c. Ecclesia vestra. h. t.* ex duabus electionibus, quarum una constabat votis 14. altera 16, cassaverit hanc, eò quòd facta licet à majore parte, non tamen à saniore; non enim hoc ipso confirmavit alteram constantem votis 14. uti malè supponit & infert gl. hoc namque in textu non habetur. Pass. *loc. cit.* Unde, dum in tali casu, dum dignoscitur (nimirum ubi nomina eligentium publicantur) quòd minor pars in qualitate sanioris quamvis multum excedat majorem, hæc in numero modicè excedat minorem, neutrius electionem confirmandam docet Suar. *loc. cit. c. 5. n. 2.* idem approbat Pass. *loc. cit.*

Questio 375. A quo habendus hic actus?

Respondeo: solennem hanc electionem faciendam à toto capitulo, hoc est, ab uno, qui totum capitulum in hoc actu representet. *c. sicut cum. h. t. in 6.* Hunc autem deputandum à Capitulo, docent aliqui cum Sigism. *dub. 38. n. 5.* alii cum Suar. *loc. cit. n. 24.* pertinere hoc ad Præsidem: alii cum Abb. *in c. quia propter. n. 11.* & gl. *in cit. c. sicut cum.* sufficere ad hoc quemlibet de Capitulo hoc assumentem, Capitulo non contradicente imò; posse id facere extraneum nomine Capituli, tenent Biax. *p. 3. c. 33. n. 3.* Cuch. *de elect. n. 270.* Rodriq. *to. 2. q. 52. a. 14.* Verùm omne Collegium habere in hoc suam legem vel consuetudinem, determinantem illum, qui hoc agat, Pass. *n. 25.* ait.

Questio 376. Quâ formâ faciendâ hæc electio?

1. **R**espondeo primò: faciendâ est ore & clarâ voce, nec sufficit factum aliud (nisi forte in electionibus, in quibus servanda non est forma. *c. quia propter.* Biax. *p. 3. c. 36. n. 2.* ex Abb.) quo in communi manifestetur eligentium consensus; ubi enim verba sunt de substantia (uti sunt in præsentè *c. quia propter.* & *c. Ecclesia vestra. h. t.*) non æquivalent iis facta. Abb. *in cit. c. Ecclesia. n. 3.* Biax. *loc. cit.* Cuch. *l. 4. n. 276.*

2. Secundò fieri debet ab uno loquente in persona singulari, & propria dicendo: Ego Titius vice, seu nomine præsentium Electorum eligo Cajum. Abb. *in c. in Genesi. n. 7.* & *in c. quia propter. n. 2.* Biax. *c. 19. num. 6.* Tusc. *l. E. concl. 75. n. 8.* Sigism. *dub. 38. n. 2.* Pass. *n. 25.* Quòd enim sit ab uno nomine plurium, & ut representante unitatem plurium in uno Collegio per modum decreti & sententiæ, melius exprimitur in singulari; cum unus sit, qui facit, & in quo residet facultas capituli. Pass. *loc. cit.* modòque hic loquendi servandus absque differentia, sive electus quis fuerit unanimiter ab omnibus, sive à majore parte tantum; sive ipse faciens hanc communem electionem illum, sive alium elegerit in scrutinio; quòd enim sit à majore parte capituli, censetur factum à toto capitulo; & jura volunt, ut nominatus à majore parte capituli à capitulo eligatur. Pass. *n. 27.* Non tamen videretur hic loquendi modus in singulari esse de substantia Electionis, ita ut si ille, qui nomine communi eligit, dicat: nos eligimus, electio sit nulla; ex una enim parte jura nullibi decernunt, ut electionem illam communem faciens loquatur in singulari; ex altera parte non repugnat, quòd plurium consensus & Collegii voluntas exprimat in plurali. Bald. *in c. in Genesi. n. 7.* Pass. *n. 26.* qui nihilominus servandam ait consuetudinem, ut electio communis fiat per verbum eligo in singulari numero.

Questio 377. Quando fieri debeat communis hæc electio?

Respondeo: statim post publicationem scrutini & collationem factam. *c. cum post. h. t.* & in continenti, ita ut Capitulum non divertatur ad actus extraneos. Abb. *in cit. c. cum post. n. 2.* Biax. *p. 3. c. 33. n. 18.* Cuch. *l. 4. n. 271.* Sigism. *dub. 37. n. 3.* Pass. *n. 30.* qui interpositam tunc cantationem nullâ de Spiritu Sancto incongruam quidem dicit; eò quòd electio illa communis de jure faciendâ necessariò est in personam illius, qui nominatus est à majore parte in scrutinio, non tamen vitiaturum electionem; multò minus hanc vitiabit mora impensa in

tractanda concordia inter electores, ut minor pars accedat ad majorem, quod fieri potest. *Biax. c. 34. n. 2.* De cetero, quanta mora vitiet electionem, pertinebit ad æquum judicem arbitrari. *Pass. loc. cit.* Porro, tunc dilatione electionis æquo longiore eandem irritandam, ita ut si post talem moram ea sequatur, nulla sit, ubi hæc dilatio facta ex ignorantia vel negligentia & ignavia eligentium; ait *Pass. n. 31.* citans *Gemin. in cap. si confirmationem, h. r. in c. n. 4.* Abb. Jo. And. *in c. publicato.* Tolosan. *de elect. c. 17. n. 17. &c.* ubi verò facta hæc dilatio ob justam causam, vel etiam ex malitia & dolo in fraudem electi, compellendi sunt electores (nimirum à confirmatore; eo ipso enim, quòd spectet ad eum confirmare, spectant etiam ad eum præambula ad confirmationem, eorumque cognitio. *Abb. loc. cit. Biax. c. 34. n. 4. Pass. n. 32.*) ad eam faciendam, & valebit ea tunc secuta post tale decretum Superioris. Potuit ipse quoque nominatus in scrutinio (absque omni etiam nota ambitionis. *Biax. & Pass. loc. cit.*) implorare ad hoc officium dicti confirmatoris, ut is compellat electores ad electionem communem faciendam & publicandam; ad hoc enim jus habet, quo nullius dolo aut malitiâ privari potest, etsi ad ipsam confirmationem jus plenum non habeat. *c. publicato. Pass. n. 31.*

Quæstio 378. Num igitur ommissio, dilatio, vel quisunque defectus electionis communis reddens illam irritam, irritet etiam omnia antecedentia, ita ut scrutinium ritè habitum & validum per hoc quoque invalideatur, & de novo repetendum?

R Espond. affirmativè *Abb. in c. publicato. n. 9. Cuch. l. 4. n. 246. Sigism. dub. 38. n. 7. Pass. cir. c. 19. n. 33.* contra *Innoc. Archid. &c.* falsò supponentes, ex scrutinio publicato nasci nominato jus ad confirmationem; dum enim valor actûs aut negotii in indivisibilitate formæ consistit (uti contingit in negotio electionis) hæc vel tota inest, aut nihil de ea est, adeoque totum corrumpit, & nihil in eo est validum, & sic nullitas actûs posterioris, qui est de forma & substantia electionis, omnes actus præcedentes reddit nullos & iterandos. *AA. iidem.*

Quæstio 379. An, & qualiter electio communis publicanda?

1. **R** Espondeo ad primum affirmativè. *c. quia propter.*

2. Respondeo ad secundum: per actum distinctum ab actu, quo ea fit coram Capitulo; hæc enim publicatio electionis communis est illa, de qua loquitur *c. quia propter*; proinde opus est aliâ, per quam ea publicetur populo, vel Conventui toti, *Pass. n. 34.* Potest nihilominus uno eodémque actu fieri hæc communis electio, & simul publicari hæc posteriore publicatione propriè dictâ; dum nimirum electio communis fit publicè coram populo, vel Conventu toto ad hoc convocato, *Sigism. d. 38. n. 9. Pass. loc. cit.*

Quæstio 380. Num igitur, si distincta illa solennis publicatio electionis faciendâ coram populo extra Capitulum, omittatur, vitietur, & irritetur electio?

1. **R** Espondeo primò: si omittatur in fraudem & odium electi, non vitiare electionem; jura

enim non favent fraudibus, æquumque est, ut innocens electus non patiatur ex eo, quòd in odium illius aliqua solennitas electionis malitiosè omittatur. *Hofst. Abb. Castell. &c.* quos citat sequiturque *Pass. n. 35.*

2. Respondeo secundò absolute, præscindendo etiam à tali odio & fraude, per occultationem electionis communis (etsi ea sit contra justitiam, utpote contra jus, quòd habet populus seu universitas, de cujus Prælatu agit, habendi ab ipsis electoribus notitiam illius, ut possit contra electum excipere apud confirmatorem. *Pass. n. 37.*) non vitiant electionem. *Abb. in c. quia propter. Biax. p. 3. c. 37. n. 4. Sigism. d. 38. n. 9.* & alii docentes, eam non esse de substantia electionis (qualis foret, si electio non fiat collegialiter, si scrutinium non publicetur primò coram Capitulo, sed in occulto reveletur aliquibus tantum; Si electio communis non fiat publicè coram toto Capitulo &c.) Estque adhuc ex eo simpliciter publica, quòd publicè in Capitulo facta & publicata. *Pass. loc. cit.*

3. Respondeo tertio: sed neque propterea casanda est electio, etiam ad instantiam populi; cum non sit de forma, sed accidentarium quid, consequens ad electionem ritè factam. *Pass. ibid.*

4. Respondeo quartò; peccatè tamèn graviter electores dictam publicationem sine justa causa omittendo; tum quia, ut dictû, sit contra justitiam; tum quia eam præcipit *Concil. Lateran. cit. c. quia propter. Pass. ibid.* citans *Abb. Hofst. Jo. And. &c.* hinc corrigendi electores ob eam omissam, eaque non publicatâ publicanda ab electoribus, vel à confirmatore. *Pass. ibid.*

Quæstio 381. Num ipse quoque ordo actuum, qui sunt partes electionis, prout expressus in c. quia propter, nimirum, ut prius assumantur scrutatores, dein fiat scrutinium, & hoc publicetur, ac demique collatione factâ, fiat electio communis, sit de substantia electionis, ita ut hæc sit nulla, si ordo hic non servetur, sed præponatur actus, qui loco posteriore faciendus exprimitur?

R Espond. affirmativè *Abb. in cap. quia propter, n. 16. Biax. p. 3. c. 38. n. 1. Donat. tr. 1. q. 18. n. 23. Pass. n. 38.*

PARAGRAPHVS XI.

De Electi consensu, & instrumento, seu scriptura Electionis.

Quæstio 382. Num Electores teneantur postulare consensum nominati à majore parte Capituli?

R Espondeo affirmativè, quantum est de jure communi. *c. cupientes, h. r. in c.* quamvis hunc canonem non nisi in electionibus ad Ecclesias Cathedrales & Regulares locum habere dicant *Gl. ibid. v. electiones.* & *Franc. n. 2. Pass. cap. 20. n. 1.* Dixi jure communi; nam ex statuto speciali, vel consuetudine quorundam Ordinum (ut de Dominicis testatur *Pass. n. 10.*) est, quòd electi etiam si prætens sit, consensus non requiratur, eò quòd

Reli.